

errores, & segniores deinceps fuerint ad fidem Christianam humanis commentis liberandam. Altera & præcipua causa, fonsque totius mali, quòd non hæcenus licuit pleniorè reformationem in Ecclesia meditari, nedum aggredi, est quòd cum Episcopi de nouo instituti, in reformatione instituenda primas partes cum Rege & primoribus regni habuerint, passi sunt quidem pleraque in doctrina mutari: at sedulò cauerunt, ne quicquam de dignitate & authoritate sua Prætoria in Laicos & cæteros de Clero detraheretur, neve reliqui abusus, potestatis Episcopalis longè præcipuum firmamentum, abolerentur. Hac ratione factum est, vt tum temporis & deinceps, solis Episcopis, de constituendis rebus Ecclesiasticis, potestas omnis fuerit attributa, nulla, ne conquerendi quidem singulorum cœtuum Pastoribus facultate relicta.

At in Scotia reformatio longè aliter instaurata fuit; vnde non mirum, si corruptelis postmodum gliscentibus, quod in Anglia effici non potuit, purioris Religionis vindices potuerunt ire obuiam, paresque fuerunt obsistendo Epi-

do Epi-